



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 58. Rupellenses auxilia ab Anglis efflagitantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

quanto post scilicet vigesima septima Sæcul. XVI.
A.C. 1572.
 Octobris die alterum edictum in gratiam
 Protestantium condebatur, quo Rex
 severe prohibuit, ne ullis, iis tamen
 exceptis, qui contra ipsum Regum con-
 jurassent, molestia, aut periculum ob
 Religionem creetur, & si qui carceribus
 ob id detineantur, solvantur, bonisque
 suis restituantur, atque in Præfectorum
 tutela sint, qui, si quid illis sinistri con-
 tingat, eorum damnum proprio peri-
 culo luant. Hac edictorum modera-
 tione multi ex nobilitate domum revo-
 cati fuere, qui aut extra regnum, ut au-
 xilia a Principibus Protestantium causæ
 faventibus sollicitarent, abiisse crede-
 bantur, aut in urbibus, ad quas con-
 fugerant, multitudini confusæ, pa-
 vidæ, ac fere imbelli se Duces præ-
 bere potuissent.

§. LVIII.

*Rupellenses auxilia ab Anglis effla-
gitantes.*

Dum interim Aula tam ingenti mo-
 deratione ad sedandos Calvinistas
 utebatur, Rupellenses, qui Bironium
 ad urbem suam admittere pertinaciter
 recusabant, semel, atque iterum dele-
 gatos in Angliam ad Mongomerium co-
 mitem, qui cum Carnutum vice-Domi-
 no eo se contulerat, ad accersenda

Thaan. l. c.

Sæcul. XVI.

A.C. 1572

auxilia mittunt: igitur Rex horum contumacia exacerbatus die sexta Novembris ad Bironium mandata dat, quibus Rupellanis, nisi sine exceptione, & nulla interposita mora ipsum admitterent, bellum denuntiaret, & cum iis tanquam perduellibus, ac Principi suo rebellibus, læsæque Majestatis criminis obnoxii agere jubebatur. Accepto hoc mandato mox quidam munitionum Architecti unacum triremibus eo mittuntur, ut Rupellæ situm, portumque explorarent: verum crebris tormentorum ictibus a Calvinistis repelluntur: eapropter res ad apertum bellum spectabat, quod tamen lentius agebatur, ut interea omnia incolas ad saniora reducendi media adhiberi possent.

§. LIX.

Franciscus Laniois Gubernator Rupellas a Rege Deputatus.

*Thuan.
pag. 851.
Mezeray
pag. 263.*

Rex, ut oppidanos lenitate ad obsequium revocaret, ad ipsos Gubernatorem ablegabat Franciscum Laniois secta Calvinistam, quem Longevillæ Dux veteri amicitia eidem junctus ad aulam invitabat: priusquam vero Laniois discedere permittebatur, Rex illum in Gondii ædes deductum ad privatum colloquium admisit, excusatisque, quantum valuit apud eum, illis rebus, quas